Nobiliss. Ampliss. Domino,
D. Constantino Hugenio Toparchæ in Zuilichem etc. Dom. meo clemen-
tiss. S. P. D.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Perillustris Domine,

Quod mihi discedens imperaveras, ut Methodi, quâ in formandis commi-
litonum studijs utor rationem redderem, ~~eo~~ in eo et me et fidem meam
præstabo, præstiturus haud paulo magis cumulatè, nisi me temporis opprime-
ret angustia; nunc enim, (et jam octava est et quod decurrit) modo nuntia-
~~tum~~ nuntium antè nonam discessurum, facio autem id libens, tum officij causâ
tum quia a prolixissima humanitate vestrâ commendationem expecto: cæterorum
judicia vel æqua vel iniqua justâ æstimans. Primum quidem non fugit
Amplit. tuam ab octavâ ad usque nonam barbito operam dare filiolos majores
duos: Interea Ludovicus, quid? ludit. quod ætatulæ ejus tenellæ, lusui, ut
fit, impensius dedito, dandum arbitror. Horas institutionis ad hunc dividimus
modum. earum primam Sleidanus, alteram thema vendicant. Si quid autem ab
hoc scripto superest temporis, labyrinthos bellus ego Logodædalus, ut cum Plauto
loquar, non hortorum Proteriensium, sed poëticorum struere soleo. Atque ea versus vel
ipsi, aut Bavio, aut Mævio, pudendas, compono, ut ne sibi ~~dicti~~ prædicti bonorum versu-
um labentes nævi, in Prosodiam impingentes, et qui latet anguis in herbâ, primo
obtutu se prodant; quæ quidem, nisi omninò me fallunt omnes rationes, pia, addo
utilis, fraus est, maximè quia, bonâ fide agens, fallere nisi fefelleris, identi-
dem inculcet, ne prædictum sibi fortè negent. Cæterum, adeò jam nunc ~~de~~
muncta naris sunt, ut confestim ijs, tametsi ne monuerim quidem dolus subole-
at. Itaque Oedipi magni, è vestigio omnes conturbant mihi Sphinges meas,
et ignavum fucos pecus à præsepibus arcent. Et inclusos qui ligno oc-
cultantur Achivos, tum fortius, tum etiam feliciori omine quam olim
Laocoon ille Tros, denudant. Fraude autem demonstrato, ut integri-
tati suæ restituant, injungo, quo praxis Prosodiæ appareat. Thema ve-
rò cum Constantinus scribit, ne Christiano, importuna illa cruris scabies, studia
omninò destruat, cepi rationem ut ne illâ quidem horâ ~~[illegible]~~ otium agat. Atque
ut Terentium secum repetat, author sum: de quo quid attinet dicere? quem naturæ
extremis conatus Scaliger, et miraculum hominis Erasmus, postquam omnium propè
scientiarum perlustrassent adyta, nunquam deposuere. Ludovico dum in Sleidano agi-
mus, thema præscribo. Horâ autem decimâ Terentium ei explico. Undecimâ ve-
rò non continuò quâ data porta ruunt, sed dum Philippum ego, Constantinus Ludovicum,
instituit in Musicis. Tum Arithmeticæ dant operam. hinc in dicendis
nitidè litteris occupantur. Christianus, qui jam neutrum agere, ob manuum
impotentiam potest, Musicam utramque excolit; id quod Constantinus à prandio
ante tertiam facit. Eâ auditâ, Ludovicus Grammaticam repetit. Nos in in-
geniosissimi poëtarum Tristibus versamur, majore medius fidius voluptate
quam ille scripsit. Rhetoricæ compendium aggredimur propediem. in quo
id quod jussisti, tropos duntaxat et schemata observabimus et ipsum compen-
dium sive sceleton potius, circumcidemus. Nunc interim themata scribunt

Hug. 37

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 1 bij
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2098

Horâ quintâ ubi Philippum docui, vel deambulationi, si coelum invitet, vel
poësi si Musae arrideant, indulgent. alias Aurorae, vel quocunque demum extra
horas institutionis tempore, Deo illo, qui in dis est agitante, incaluerint,
Parnasso bicipiti litamus. Sed moror te nimis et in publica com-
moda pecco, cum tot sustineas et tanta negotia solus. Deus Opt.
Max. Ampl. tuam patriaeque tuisque quam diutissime incolumem cons-
ervet. Vale Nobilissime Domine, atque ignosce literis, humillime salutat

ab Amplitud. tuae
cliente devotissimo
Henrico Brunone.

Hagae Comitis
ex aedib. Ampl. tuae,
VIII Kal. Iunias,
CIƆ IƆCXXXIX.

ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Aen
Myn
Heere
Myn Heer
Constantin Huygens
Heer tot Zuilichem, etc.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 1 bij
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2098